



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

1 Donatio vera, & iurata vxori post crimen facta valet, donec reuocetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

TITVLVS XII

De Diuortijs.

SVMMARIVM.

- 1 Adulteria coniugum, vt mutua compensatione tolluntur.
- 2 Fornicatio matrimonium præcedens, iusta causa repudij non est.
- 3 Adulter correptus adulteram impenitentem dimittere potest non tamen ingredi religionem, & nisi &c.
- 4 Sæuitia viri perpetuo duratura, causam dat diuortio perpetuo.
- 5 Coniugata, an, & quando coniugia fide apostatanti licite cohabitare possit.

DECISIO I.

Ex cons. 1. in vtrisque.

**C**um adulteria coniugum quo ad effectum perdendi, vel recuperandi ius petendi debitum, mutua compensatione tollantur: intelleximus, & c. tua de adulterijs. Sicut alter coniugum per suum adulterium ipso iure ius exigendi debitum perdit, ita ipso iure recipit, & recuperat illud confortis suæ adulterio, ex Nauar. in Man. ca. vige- simo secundo, numero vigesimo tertio, & hoc siue eodem tempore vir, & vxor, aut contra prius vxor, & postea vir, & siue adulterium vtriusque sit publicum, siue non, siue vnū sit publicum, & aliud occultum; Nec absoluti in foro conscientie potest coniux alter, nisi vxorem repetat, & recipiat, maxime, si ipsa reconciliationem petat, (quod idem de vxore respectu mariti dicendum est) & sententia diuortij ob adulterium coniugis dissoluitur ob subsequens suum adulterium.

DECISIO II.

Ex cons. 2. in vtrisque.

**Q**ui credit se virginem in vxorem ducere, & ducendo inuenit corruptam, eam dimittere non potest, & si dimittat, ad eam tacentem, & non petentem reditus & debitum reddere tenetur: cum nullibi scriptum sit maritum posse relinquere vxorem propter fornicationem per eam ante matrimonium admissam; copula enim præcedens nec iniustitiam contra maritum continet, nec matrimonij sequens consumit, nec sufficiens causa est repudij; c. Quem admodum de iure iur. & ibi Pand. Sed & debitum sponsæ, etiam non exactus tenetur reddere, quando scit, aut scire debet, quod sponsa debitum suum sibi solui vult, licet ob metum, vel aliam causam gratiam expresse non petat.

DECISIO III.

Ex cons. 3. in vtrisque.

**Q**uia ex vrgentibus, & vehementibus presumptionibus vxorem suam de adulterio suspectam habet, quod tamen vxor negat, nec ipse probare postea vxor decedens adulterium committat, & vir etiam adulterans eam reperat, sed ipsa ad maritum redire nolit, potest adulter ad alteram impenitentem dimittere, & diuortium petere, religionem autem in reuocabili ter ingredi nequit, nisi prius sententiam diuortij obtineat.

DECISIO IV.

Ex cons. 5. in Nouis, deest in antiquis.

**S**æuitia viri perpetuo duratura, sicut dat causam perpetuo diuortio; c. literas, §. si. de restit. spoliat. ita etiam, & pro sæuitia ad tempus duratura concedi potest separatio, seu diuortium etiam temporale. Et quamuis primum, nec peti, nec dari potest nisi parte citata, argu. c. 1. de causa possess. secundum tamen potest argu. l. æquissimum, ff. de vlt. Et mulier interim dum controverfiæ componuntur, & vir minor reddatur, etiam infcio, & inuito viro in Monasterium

Monialium recipi potest, non obstante cap. 7. de statu Monachorum, etiam a diuncta innovatione Concilij Trident. sess. 25. de regul. cap. 5. & Bulla Pij V. Extra. incip. Regularium quæ est 22. in ordine. Siquidem nec Concilium, nec Pij V. Bulla, ingressum mulieris secularis in Monasterium Monialium ex manifesta & rationabili causa, cum licentia episcopi, vel superioris in scriptis obtenta, prohibet.

DECISIO V.

Ex cons. 7. in Nouis, deest in antiq.

**N**upta fidei, etiam si vir postea fiat infidelis, si eam sine contumelia creatoris tractet, cohabitare potest, cap. si infidelis. 29. q. 1. & filij parvuli ex solo consensu vxoris baptizari possunt, cap. Iudæi. 28. q. 1. & penes illam educari debent: aliter tamen nubere ipso viuento non potest, etiam si iniuste in seruitutem ab infidelibus, nisi nubat, redigeretur. Quod si de facto alteri nubat, matrimonium non valet, nec ei sacramenta penitentie, vel Eucharistie, vt pote non contrita, & in peccato mortali manenti, ministrari non debent. argu. cap. quotidie, & ibi glo. verb. effectu de consec. dist. 2. Sicut nec coniugati propria auctoritate sine legitima probatione impedimenti maleficii, vel impotentie se separantes & secundas nuptias contrahentes, absoluti possunt, cum in peccato mortali permaneant. cap. fratemitatis. & cap. si. de frig. & malefici.

TITVLVS XIII.

De Donationibus inter virum, & vxorem.

SVMMARIVM.

- 1 Donatio vera, & iurata vxori post crimen facta valet, do nec reuocetur.
- 2 Fornicatio matrimonium præcedens, vxori, nec eius heredi obest.
- 3 Donationem iuramento firmatam, factam vxori, non poterit vir etiam legando ad pia opera reuocare.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 8. de censib.

**S**i maritus post delictum commissam, pro quo a fisco bona sua fuerunt per sententiam confiscata, vxori suæ per instrumentum certa bona donec, & instrumento substat, sub eis, vt ante delictum commissum apparere possit donationem factam fuisse, & maritus bona donata, vique ad condemnationem possideat, donatio talis valida censeri debet, dummodo maritus bona illa vxori donauerit, & donationem ita iuramento confirmauerit, quod illam reuocare non possit, aut potuisset, etiam si nunquam condemnatus fuisset: Poteritque vxor tuta conscientia præfata bona sibi tanquam sua, (quia vere talia sunt) retinere, quousque donatio illa reuocetur, & tanquam in fraudem factam per iudicem rescindatur. Sin vero animus donandi verum non habuit, cum illa semper manserint sua, sub confiscatione generali omnium bonorum suorum cadunt, & proinde per sententiam condemnatoriam fisco debentur: Non tamen obligantur donatarius ad bona illa reddenda, quousque per iudicis sententiam donatio reuocatur sicut nec incidens in penam, in foro conscientie illam soluere tenetur, donec a iudice condemnetur. S. Th. 1. 2. q. 92. ar. 4. & gl. in c. fraternitas. 1. 2. q. 1.

DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 2.

**D**vo inter se contrahentes adiecta clausula, quod stat inter coniugum decederet, non relicta liberis, ad superstitem omnia mobilia pertinerent, etiam actiua, cum onere soluendi omnia passiua; si maritus postea cognoscens vxorem ante Matrimonij contractum adulteratam fuisse,